
24,292/A

F.xviii.25.



73188

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
VARIOLIS
ANNO HOC MDCCXLVI. PRAESERTIM HELMSTADII
GRASSANTIBVS
OBSERVATIONES ET MONITA
QVAEDAM EXHIBENS
QVAM
ANNVENTE DEO
IN ALMA IVLIA CAROLINA
PRAESIDE
D. PETRO GERIKE
SERENISS. DVCIS BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM A CONSILIIS AVLAE ET ARCHIATRO CHYMIAE MEDICINAE THEORETICAE ET MATERIAE MEDICAE PROFESS. PVBL. ORD. SOCIETATIS REGIAE SCIENT. BEROLINENS.
MEMBRO
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO
AD CINERES VSQVE PIE VENERANDO
D. IX. DECEMBRIS MDCCXLVI.
IN IVLEO MAIORI
PRO DOCTORIS GRADV
CONSEQVENDO
HORIS CONSVETIS
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET
ANDREAS GOTTFRIED GEMMEL
HALBERSTADIENSIS.

HELMSTADII
TYPIS EXSCRIPSIT P. D. SCHNORRIVS, ACAD. TYPOGR.

[1746]

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VARIOLIS

ANNO HOC MDCCXLVI. PRAESERTIM HELMSTADII

GRASSANTIBVS

OBSERVATIONES ET MONITA QVAEDAM

EXHIBENS.

---

§. I.

Variolas non eundem ſemper genium prodere, ſed pro reliqua anni conſtitutione ſingularem quaſi ſpeciem repraeſentare, Sydenhamus (*) notat, & obſeruationes confirmant; e quibus ipſis hoc didicerat. Eſt vero idem adeo verum, vt in benignis & regularibus etiam diuerſis annis haut exigua diuerſi-

 tas

(*) Sect, III. Cap. I. Tom. I. Operum

tas obſeruetur. Pretium itaque operae maximum eſt, diuerſitates eas probe annotaſſe: cum exigua etiam momentum ſaepe aliquod ſecum trahat; & multum in ipſa tractatione aegrorum referat, ſcire, quid in hoc morbo metuere, vel ſperare haec aliaue res iubeat. Monent illae praeterea ſemper, ne remedia, alias egregia, intempeſtiue forte applicentur, nec omittantur alia neceſſaria.

§. II.

Graſſatae hoc anno apud nos ſunt variolae magis fere, quam multis praecedentium annorum; atque ita, ab initio praeſertim, vt metum haud leuem varia ratione iniicere potuerint. Fuerunt tamen illae ſic ſatis benignae, praecipue ſi exitum ſpectemus: qui paucis forte funeſtus fuit, recte quidam tractatis, vel iis, qui non antea graui corporis vitio laborauerint. Terrere vero ſtatim hac re potuerunt, quod cum anni fere principio incipiebant graſſari, integrasque familias ſubito corripiebant: quem irregularium & periculoſiorum morem eſſe, Sydenhamus monet.(*) Sed acceſſere deinceps alia, quae praeterea aliquem etiam metum facere potuerint. Dum interim ad potiora, quae hunc morbum circumſtabant, attendiſſem ego PRAESES, metu diſcuſſo, ſpem habere bonam aegros meos omnes, vel quibus ſalus eorum curae erat, iuſſi, nec id vane. Euaſerunt enim DEI beneficio illi, quorum curam geſſi, ad vnum omnes feliciter; etſi numerus is non paruus, valde diuerſa aetate fuerit, & in vna eademque domo interdum plures, quinque, ſeptem, eo morbo decubuerint.

Primus,

(*) Ib. Cap. II.

Primus, ad quem hoc anno vocatus fuit PRESES, Adoleſcens generoſiſſimus 16. annorum, aegrotare coepit d. 7. Januar. quo prorſus reſtituto, tres eius ſorores, natu minores, et frater natu omnium minimus eo correpti fuerunt. In familia Viri Summe Venerabilis ſub initium Februarii breui temporis interuallo ſeptem eius liberorum variolis correpti ſunt: natu penultimus, etſi inter illos conſtanter verſaretur, ſolus intactus manſit eorum, qui prius variolis non laborareuerant.

§. III.

Viſum ergo nobis eſt, graſſationis huius, eorumque, quae in illa a PRAESIDE pro aegrorum ſolatio ſuſcepta ſint, vel etiam quae non agenda putauit, memoriam aliquam prodere; non tamen omnia pluribus commemorare, ſed praecipua quaedam, ad variolarum huius anni genium maxime pertinentia, vel adeo frequenter alias non obſeruanda; & ad quae in curatione illarum curam maxime dirigendam is exiſtimauit: in qua expoſitione ſimul de naturae & artis efficacia in hoc morbo, quid ipſi ſentiamus, quaeque pro praxi recte formanda notaſſe iuuabit, paucis monebimus.

§. IV.

Initium graſſandi cum principio huius anni, vti iam dictum, variolae fecerunt, plurimosque corripuerunt hyemis frigore maxime ſaeuiente; nec ante ceſſarunt, quam veris plurimo tempore elapſo: quo morbilli locum eorum occuparunt, idque in plurimis ex illis, qui prius a variolis vexati fuerant. Poſtquam reliquorum curationem fere peregerat

PRAESES, ordo tetigit eius filium, cuius illi ſaluti maxime inuigilandum fuit, & a cuius latere parum abſceſſit. Proceſſerunt in illo plurima ſatis ad regulam, ita vt idem caſus pro regula quaſi quadam inſeruire queat; aliqua tamen ad aliarum variolarum ſimilium modum non contigerunt, ab aegri autem corporis habitu, qui tum erat, potius, vti arbitramur, quam ab ipſa variolarum ſola indole, profecta. Quare ſub vno hoc exemplo variolarum hoc anno graſſantium hiſtoriam exhibimus, notatis tamen ſimul diuerſitatibus praecipuis, quae in aliis ſeſe obtulerunt.

§. V.

Exegerat puer is menſem vnum ſupra tres annos, ſatis bona valetudine, ingenio & corpore viuido; ſed hoc admodum tunc plethorico, cum die 22. *Aprilis* verſus vesperam ſubito horrore & mox ſyncope graui corripiebatur. Ex qua vbi partim ſua ſponte, partim promptis auxiliis excitatus, poſt moram non adeo longam ad ſe rediit, quod reliquorum eius diei fuit, aegritudinem ab imbecillitate contractam prodebat, cum querela de doloris ſenſu circa cordis ſcrobiculum. Videbatur in illum morbum incidiſſe ex terrore & ſubito admiſſo frigore, quod die illo notabile erat; neque dubium eſt, quin cauſa vtraque memorata valida fuerit ad ea ſymptomata hoc maxime tempore cum intus haerente contagio prouocanda.

In pleraque aegrorum parte reliquorum contagium varioloſum ſuſceptum vomitu, capitis doloribus magnis, in aliquibus cum vertigine praeterea ſe ab initio pro-

prodebat: qui quidem omnes ſtatim valde aegrotabant, vt extra lectum diu degere non poſſent. Vexabatur iis ſymptomatibus praecipue natu minima e generoſiſſimis illis ſororibus, quarum antea (§. 2. Not.) mentionem feci iam a tempore aliquo minus valente corpore vſa, d. 26. Jan. D. 27. Jan. vero in brachiorum iuncturis variolae quaedam emergebant, vomitus continuabant, labia ſaepe valde pallebant, caput vertiginoſum, pulſus valde celer, ſed exilis, ipſa admodum aegra erat.

Cum *die ſequenti*, quo aëris frigus ſe remiſerat, alacritatem fere priorem prae ſe ferret, & ſtrenue in domo & horto pro more ſuo diſcurreret; idemque tertio etiam die faceret, paulo minus de variolis cogitatum eſt: in quorum tamen metu, non diu ante caſum illum, corpus per medicamenta expurgatum fuerat. Sed docuerunt ſecuta deinceps, deſignato ante die 22. Aprilis verum variolarum initium, ſeu inuaſionis tempus conſtituendum eſſe.

Quartus enim *dies*, ſeu 25. *Aprilis*, quid rei ſubeſſet, rectius tandem admonebat, vomitibus frequentibus, a veſpera in ſeram noctem vsque, ſine alia manifeſta cauſa, aegrum vexantibus cum calore vehemente.

Quinto autem *die* vel, ſi ab inuaſionis hora numerum ducimus, quarto adhuc decurrente, variolae ipſae in conſpectum veniebant admodum copioſae; quas ſequenti die aliae non minore numero ſequebantur. Faciem, imo integrum caput, ſed illam tamen praeſertim ſtatim obſidebant copioſiſſimae: quibus deinceps, vt fere fieri ſolet, in artubus, & nouiſſime in abdomine & pectore ſuccedebant

plu-

plurimae. Sudor ſub eruptione variolarum multus prodibat; nec febris interim quicquam remittebat, vti nec reliqua aegritudo, & vrentiſſimus calor: quae omnia fere, excepto ſudore, ad 12. fere diem perſtabant. §. *Sexto die* ſemel vomuit.

Eruptio variolarum in aliquibus altero die, in aliis tertio & quarto poſt illa ſymtomata memorata §. 5. In Not. contigit. In prioribus vero ſuſceptum contagium maturius, quam ea ſymptomata obſeruabantur, in corpore agere coepiſſe, ex aliis ſignis colligere licebat. Primae vero interdum in brachio, vel ſimul in pedibus in conſpectum veniebant. In facie plerique copioſiſſimas habuere; quibus etiam oris interiora multis puſtulis obſeſſa fuerunt.

Ingentem in ſudores propenſionem in infantibus non obſeruauit Sydenhamus vel ante puſtularum emptionem, vel etiam poſtea p. 80. In confluentibus vero adeo illa ei inſolens fuit, vt ex eadem etiam iudicet, variolas minime confluxuras. p. 81.

Symptomata vero illa in diſcretis alias mox ab eruptione ceſſare ſolent.

Septimo die puſtulae in facie matureſcere incipientes, paulatim quaeque cum vicinis confluere videbantur; vt ad formam vere confluentium quaſi accederent, & latis cruſtis illa obduceretur. Eadem magis magisque in tumorem attollebatur, palpebrae claudebantur, color ſplendide rubicundus in iis interſtitiis exiguis, quae a confluxu variolarum relicta erant, apparebat.

Idem in pleriſque fere contigit.

Tardius maturatio coepit in reliquo corpore, praeſertim in artubus; vbi puſtulae magis diſtinctae, am-

amplae, maturatione etiam peracta, magis depreſſae, imo in apice ſinuatae, cutim omnem ad pedum vsque plantas, & ſub his tanta copia obſidebant, vt tenuem valde in plerisque locis ambitum relinquerent.

Decimo die, qui *primus Maii* erat, ſaliua copioſa & viſcida in os confluebat; ſimulque per aluum materia ſimilis frequenter eiiciebatur. Augebatur breui confluxus ille in os, materiaque adeo viſcida & quaſi tenax id obſtruebat, vt aeger, cum naſus interior praeterea occluſus fere a variolis eſſet, vix reſpiraret; & nil aſſumere, vel etiam proiicere ex ore vix diducendo ſponte poſſet. Omni ſuppurationis tempore vrinae ſuppreſſio diuturna, ſed non perpetua, illum moleſtabat.

Saliuam ſimilem in aliis paucis etiam obſeruaui hoc anno, et eodem maturationis tempore, ſed non adeo copioſam, quam in hoc aegro, nec adeo diu confluentem. Salivationem in confluentibus fere tantum, et quidem adultis accidere, iunioribus vero, loco illius, diarrhoeam, Sydenhamus memorat. Aliquando tamen, A. 1670. nimirum, in diſtinctis priorem quoque obſeruauit, iisdem tamen peioris indolis, quasque ad confluentium naturam acceſſiſſe iudicat. p. 124. Cap. VI.

Vndecimo die variolæ ex albo luteum colorem in facie acquirebant, & hæc circa veſperam detumere quippiam incipiebat.

Duodecimo die facies multum detumuit, ita, vt æger, cuius adhuc vultum variolarum confluxus & tumor valde deformauerant, agnoſci rurſus poſſet. Interſtitia tamen valde adhuc inflammata erant. Quae-

dam eo die variolae, & inde factae areae latiores exſiccari incipiebant, manus vero inſigniter tumere. Deiectio materiae viſcidae, frequens adhuc priori die, hoc paulatim minuebatur.

Decimo tertio die alvus adhuc aperta erat; ptyaliſmus fere deſiit; oculos nonnihil aperire potuit aeger; qui nunc adeo imbecillus erat tum a morbo hactenus exanthlato, tum quod alimentorum vix quippiam proxime praecedentibus diebus aſſumere voluerat & potuerat, vt dubitarem, an vltimam exſiccationis ſcenam, quae plena periculi eſſe ſolet, ſuſtinendo par foret. Curaui tamen, vt jusculis reficeretur. Hoc die tumuere pedes.

Pars aegrorum altero ſtatim a coepta exſiccatione die lectum reliquit, alacrior facta, et paucis diebus prorſus reſtituta. Nonnullis, iisque praeſertim, qui minus caute domi habebantur, naturali magis inſtinctui relicti, maturatio iuncta cum exſiccatione ad plures dies, et interdum ad hebdomades protracta fuit, nullo tamen eorum, quibus adhibitus fui, fatali exitu.

Quartus decimus dies ſpem ſtatim meliorem afferrebat. Recuperaverat aeger virium quippiam. In facie exſiccatio fere peracta erat, puſtulaeque aliquae decidebant; coepit exſiccatio in collo, pedibus, praeſertim ſiniſtro, & parcior in manibus; artus omnes detumeſcebant; oculis vix hiantibus dignoscere imagines coepit, quod inprimis laetum ſignum fuit: cum a puſtulis, quarum veſtigia prius in interioribus palpebris apparuerant, materiaque quaſi purulenta, quae interim ex oculorum angulis ſubinde deſtillauerat, metus aliquis, ne oculi vitii quippiam contraherent, iniectus fuiſſet. Aluus die illo aperta erat. *Diebus*

Diebus decimo quinto & ſexto nulla mutatio alia notabilis contigit, niſi quod omnia in melius vergerent, poſteriore etiam appetitus non parum melior eſſet. Exſiccatio vbique fere facta; puſtulis magis ſemper magisque decidentibus, cutis paulatim aequabilis in multis locis fiebat. Quo tempore *cruſta communi*, quae ab *epidermidis lamella exteriore* formata fuerat, delapſa in facie, diſtinctas ibi quoque variolas fuiſſe, manifeſte apparebat; ſub hac forma ſingulae exſiccatae in conſpectum veniebant. Aluus hoc die obſtructa erat. Ceterum in reliquo corpore, maxime in artubus, exſiccatae variolae per plures adhuc dies cuti adhaeſerunt, nonnullae etiam nondum ſiccatae; donec paulatim ab ipſo aegro reconualeſcente cum voluptate quadam decerperentur: vbi illarum maiores itidem ſub inuolucro communi quaſi exiguos pullos conſpectui offerebant.

Die decimo ſeptimo, qui 8. *Maii* erat, bene comedit, carnes etiam, & bibit. Aluus ſua ſponte aperta fuit, faeces naturalibus fere ſimiles deiectas eſſe, referebatur; quales & ſequente die a leni purgante exturbatas; e naribus purulenta materia ſat copioſa exiit.

Die viceſimo integro, ad noctem vsque materia foetidiſſima & quaſi purulenta, ſquamulis multis intermixta, per aluum deiecta, natura, vel ſponte ſua, vel adiuta a medicamento ante biduum aſſumto, reliquias variolarum interiores expurgauit.

Ceterum per omnem morbum ſomnus bonus, ſaepe multus; niſi quod verſus exſiccationis tempus ſemper parcior fuit; rationis vero vſus, pro illa ae-

tate, ſemper ſatis rectus apparuit; eodem tamen tempore a calore magno & ſomno impedito delirii quippiam ſeſe prodidit.

§. VI.

Saepe a Medicis, interdum etiam ab aliis, diſputatum eſt, ars, an natura, vel etiam fortuna, plus in morbis poſſet. Attigit eam quaeſtionem inter reliquos veteres CELSVS quoque Lib. III. Cap. I. vbi morborum particularium curationem aggreditur. Sed, neſcio, quo omine, verba eius tam diuerſimode in exemplaribus referuntur, vt ſi autoritas ſcriptorum in Medicina valere debet, pars fere quaelibet diſputantium Celſum, pro ſua ſententia ſtabilienda, allegare queat. In editione Almelouiano-Lindeniana verba eius ita expreſſa ſunt: *in nullo quidem morbo plus fortuna ſibi vendicare, quam ars: ars, quam natura poteſt.* Vt ſic naturae primus, vltimus fortunae locus in ſanandis morbis tribuatur. Vetuſtiores vero libri Celſi ſententiam ita referunt: *in nullo quidem morbo minus fortuna ſibi vendicare, quam ars poteſt.* Quam poſteriorem lectionem ſine dubio praeferent priori tam ii, qui de Medicina non pro eius dignitate ſentiunt; tum qui Medici nomine abutentes & fortunae ludibria in aliis rebus experti, ſub huius auſpiciis morbos etiam aggredi audent. Quae ceterum lectio ſi vera eſſet, Celſus haeſitaſſe videri queat, cui maxime, ſi de artis & naturae poteſtate quaeratur, palma poſt debellatos morbos offerenda ſit. Sed naturae illum quoque rationem aliquam habuiſſe, ſubiecta mox verba docent haec: *vtpote cum,*

repu-

repugnante natura, nihil medicina proficiat: ſic tamen, vt ea, quae natura in morbis agit, fortunae quoque adſcripſerit. Sunt enim eadem extra artem, & fortunae uere adſcribenda, ſi reſpectum multorum medentium habere velimus; ceu quibus pleraque illa, quae in morbis natura agit, vti inopinata veniunt, ita parum luminis praebent, quo conſilia eorum dirigantur. Sed arridet multis inter Medicos praeſtantiſſimos prior antea propoſita lectio; vel quod ſententiam elegantius exprimit, vel quod naturae vim in morbis egregia ratione addita confirmat. Nobis equidem, ſi, quod res eſt, dicendum eſt, ita videtur: vti ſententia haec de natura ſine vllo dubio veriſſima eſt, ita, ſi pro ratione, cur in morbis ei plurimum debeatur, valere debet, illam perquam exiguum momentum habere. Quam ſi quis forte magnum habere pondus exiſtimet, poſſet is ſane ratione ſimili omnium diſciplinarum atque artium facultates & merita eleuare: ſi quidem, repugnante natura, ne ſutor quidem calceum verum efformare, e. g. e corio valde corrupto, aut cera valet; nec ſtupido, aut mente capto homini bonas artes inſtillare eruditiſſimus.

§. VII.

Sed non placet iam veteres iſtas de natura disputationes renouare, aut acrius contendere, ipſane, an ars, plus in morbis praeſtare queat, vel ſoleat. Fortunam autem, etſi, nec ei, vti in negotiis aliis multis potenti, ita in hoc ſua merita prorſus deſint, laudandam interim aliis permittimus; neque ei in

hac comparatione locum aliquem, ſi de curationibus ipſis quaeſtio ſit, notabilem aſſignaremus. Eſt praeterea res haec aegre expedienda, ſi generatim eam examinamus: cum in his morbis natura plurimum praeſtet, in aliis artifex, vel certe artificium, cum inſcitia quamuis & forte adhibitum; in nonnullis fortuna aliter, & quaſi e machina inſperatum auxilium ferat; ſaepe morbi vis horum omnium deſtinata peruertat.

§. VIII.

Veniamus ergô in rem praeſentem, & quid quaeque, ars & natura in variolis poſſit, paucis examinemus: vbi ad omnia curate attendenti apparare ſtatim debet, multum omnino naturam valere in his in vtramque partem, ad nocendum ſcilicet, & adiuuandum. Variolae ipſae naturae, hac aetate ſingulari ratione corruptae, opus ſunt: cum reliquorum morborum plurimi aegrorum quaſi artificio, ſed malo, ſeu e male obſeruatis ſanitatis regulis oriantur. Eſt eiusdem naturae opus, quod omnes fere homines, contagioni huic expoſiti, ſi nunquam variolis veris laborarunt, ab ea inficiuntur; & tum ii, qui ſub illa conditione liberi a variolis manent, tum horum plerique omnes, qui ſemel veras variolas experti nihil poſtea ab iisdem metuendum habent, ſoli naturae id beneficium acceptum referre debent. In his ergo rebus omnibus natura omnia poteſt, ars adeo nihil adhuc valuit, vt ne rationes quidem earum reddere adaquatas potuerit.

§. IX,

§. IX.

Quodſi contagium variolarum aliquem corripuit, neque id naturae viribus e corpore ſtatim inſenſibili ratione, vel poſt tempus aliquod, febri excitata, expellitur: peragit natura quatuor ſuas ſcenas, ſeu quatuor tempora percurrit, diebus fere ſtatis, & cum phaenomenis, quæ quidem praecipua ſunt, iisdem, quicquid moliatur Medicus: niſi aeger, ante curriculum illud abſolutum, vel naturae vi, vel fortuna, vel etiam praepoſtera arte, ſpectaculo & viuentium generi hominum ſubtrahatur. Nec ſatis ſcio, annon naturae id inſtitutum, ratione ſaltim futuri temporis, melius ſit, quam quod praeſtantiſſimi quidam Medici conati ſunt, id agere ſub initium variolarum, ne inflammatio vel oriatur, vel deinceps in pus abeat. Docent itaque porro obſeruationes, variolas omnia ſua tempora, ſine vllo Medici auxilio, ſaepe decucurriſſe ſat feliciter, aegrosque ſtadiis definitis confectis, priſtinae, vel etiam meliori ſanitati, quam quae ante ſuſceptum contagium fuerat, reſtitutos eſſe. Ex quo naturae vis in expediendo hoc morbo ſatis, vti arbitramur, colligi poteſt. Num ergo ars in hoc malo nihil, vel parum valet? Sic rationes quidem nonnulli ſubducunt: an ſatis recte, ſequentia docebunt.

§. X.

Videamus modo prius, ſed paucis, quid in eo fortuna ſibi vendicare queat, & in quo praeſtantes etiam Medici vna cum aegris beneficium eius agnoſcendum habeant. Pertinent vero huc inter reliqua,

lon-

longinquius forte advocanda: non corripi a variolosa contagione, ſi illae malignius graſſantur, ſed ſi bonae, vel non admodum prauae indolis ſunt, easdem experiri: niſi verum eſt, a curandi ratione benignitatem, vel malignitatem variolarum ſaepe pendere. Fortunae porro quodammodo tribui poteſt, habere corpus cetera ſanum, vel non valde depravatum, dum contagium ſuſcipitur: laborare variolis tempeſtate minime foeda, ſub coelo ſereno, in loco non valde inſalubri, non regnantibus aliis ſimul morbis epidemiis, maxime malignis morbis, aëre puro, temperato: quamuis & huic domi arte occurri male ſe habenti queat. Reliquam in hoc aeque, ac in aliis morbis, fortunam, Hippocratis verbis (*) exprimam: *puto morbis, qui male curantur, vtplurimum infortunium accedere; qui vero bene, eos bonam fortunam nanciſci.* Sed haec quidem ad artem alia & praecipua ratione pertinere, facile apparet: de qua nunc dicendum eſt.

§. XI.

Non parum refert, recte ſtatuere, quid ars, & quid natura in variolis poſſit. Dependent enim non Medicorum tantum, ſed aegrorum quoque & qui horum qualemcunque curam gerunt, conſilia inde ſaepe quam plurimum. Conſiſtunt autem naturae vires & inſtituta, a mechaniſmo tamen nunc omnia forte deducenda, quae morbo huic debellando deſtinat, in iis potiſſimum: vt contagioſam materiam cum parte humorum, inde maxime corrupta, e corpore, ac praeſertim verſus corporis peripheriam propellat;

(*) Vid. eius liber de Arte. §. V. Edit. Linden.

lat; vt in pus eam recte conuertat; vt puſtulas factas exſiccet; & denique, vt, quicquid in primis viis interim collectum fuit prauae materiae, & ipſas ibi exſiccatas variolas per aluum expellat. Sunt haec praeclara & vtiliſſima pro ſtatu corporis eius, quod contagium ſuſcepit; quibus meliora conſilia ars nondum ſuppeditare potuit. Peragere vero eadem natura ſola videtur, nulla arte quamuis adiuta; ac melius etiam ſponte ſua, quam ſi ars ei in ſubſidium veniat. Quare multi, inter Medicos etiam, praeclari viri in eam ſententiam venerunt, ac ſi parum arti in curandis variolis ſit tribuendum; meliusque vtplurimum res eorum ſtent, qui naturae omne hoc negotium permittunt, quam qui Medicorum opera ad illud conficiendum vtuntur. Eſt inter eos merito attendendus b. STAHLIVS, tum ob alias rationes, tum quod mentem is ſuam ita exprimit, (*) vt plus etiam, quam reliquorum plurimi & ea, quae altiori indagine opus habent, affirmet: nullis nimirum aliis remediis tum in variolis opus eſſe, quam eis, quae naturae inſita ſint, a DEO nimirum implantata & edocta.

§. XII.

Prouocant hi omnes ad experientiam, qua conſtare, aiunt, longe plures e variolis eluctari ſibi relictos, quam qui in illis Medicorum aliorumue remedia, vel conſilia adhibeant. Quod in primis vt euincat STAHLIVS, rationes ita ſubducit: notorium eſſe, dicit, omnes fere homines, paucis admodum

C ex-

(*) Diſſ. de Variolis & Morbillis. §. 36.

exceptis, e variolis aliquando emerſiſſe; ex hoc vero ingente numero paucos admodum eſſe, qui medicamenta adhibuerint; reliquos, plebeios aeque, ac inſigniores, ſine medicamentis, ſine conſiliis medicis, vnico illo (quod antea nominauerat) naturae auxilio euaſiſſe. Quae quam expedita argumentandi ratio videatur, tam difficulter extricabilis apparere poſſit rem accuratius penſitandi. Vt enim alia nunc omittamus, apparet ſtatim, in hoc computo nullam eorum rationem eſſe habitam, qui illo temporis interuallo, quo reliqui euaſerunt, e variolis ſine vlla Medicorum opera occubuerunt: quod tamen neceſſe erat fieri, vt comparatione facta manifeſtum redderetur, natura in variolis ad occidendum etiam quid valeret. Tum euincendum foret prius, quod ceu manifeſtum ponit STAHLIVS, reliquos, pauciſſimis exceptis, vnico illo naturae auxilio euaſiſſe. Relinquimus nunc hoc examen aliis, an multi eorum, qui nullum in variolis Medicum advocant, ſiue ii plebeii, ſiue eminentioris dignitatis ſint, aegros ſuos ſine omni medicamento & ſine remediis relinquant; adeoque an multi, vel plurimi illorum, qui ex hoc morbo ſuperſtites viuunt, ſolo naturae auxilio euaſerint; an vero contra ſe res habeat. Id ſatis conſtare arbitramur, ſat multos eſſe, qui, ſi Medicum vel faſtidiunt, vel habere nequeunt, remedia & conſilia in plerisque morbis ſaepiſſime ſat anxie conquirere, vel vndecunque oblata arripere; qui illorum vero prudentiores ſunt, eos Medicorum veſtigiis, quae euentus ſaepius approbauit, quantum ea aſſequi valent, frequenter inſiſtere ſolent.

§. XIII.

§. XIII.

Nouam ergo reſponſionem iam olim nobis HIPPOCRATES ſuppeditauit, veriſſimam vtique, ſed quae in multis quoque aliis morbis valere debet. *Dicet ſane*, inquit, (*) *aduerſarius, quod multi iam aegri etiam citra Medicorum vſum ſint ſanati: & ego id dicentibus credo. Videtur autem mihi omnino fieri potuiſſe, vt & qui Medicis non vſi ſunt, in medicinam inciderint, non tamen vt ſcierint, quid in ipſa rectum fuerit, & quod non rectum.* Medicinae autem nomine omne id, quod in morbis iuuat, comprehendit.

§. XIV.

Vti autem porro negari forte nequit, bene multos, vel etiam plurimos, e variolis ſat feliciter euadere; ſi benignioris illae indolis ſunt, & reliqua conſpirent, quorum praecipuorum mentio ſupra illata eſt: (§. 10.) ita porro reſpondemus, PRAESIDEM huius diſſertationis nondum obſeruare, aut aliter diſcere potuiſſe, vel hoc anno, vel alio tempore; plures homines, vel naturae beneficio ſolo, vel ſua aliorumque non Medicorum ſimul opera, ſine qua nemo facile relinquitur, & nemo diu aegrotare poteſt, ex hoc morbo, ſi ille quidem grauior, vel prorſus malignior fuerit, feliciter eluctatos eſſe, quam cum Medicorum verorum auxilio. Acceperunt ſane coemeteria huius vrbis hoc etiam anno nouorum colonorum non contemnendum numerum, quos variolis decumbentes nobis Medicis huius loci vi-

 dere

(*) De Arte §. V.

dere non contigit. Alios ſuperſtites quidem adhuc videre licet, ſed partim cicatricibus foedos, partim, quod miſerabilius eſt, oculos varia ratione deprauatos offerentes, alios alia labe relicta. Mihi PRAESIDI ne vnus quidem occubuit, & per DEI gratiam omnes integri, alacres & membris omnibus bene compoſitis nunc valent: quamuis plerique eorum grauiter variolis, & aliqui eorum deinceps morbillis quoque vexati fuerint.

§. XV.

Optandum certe eſſet, exprobrationi illi, Medicis, a ſuis etiam commilitonibus, adhuc ſubinde factae, minorem ſpeciem conciliaſſe priorem variolas tractandi rationem: vbi id praecipue in hoc morbo ſibi agendum eſſe, plurimi iudicabant, vt variolas copioſas excitarent; idque tum regimine valde calido, tum medicamentis admodum calefacientibus praeſtare annitebantur. Factum enim ita fortaſſis ſaepe eſt, quis enim numerum in vtraque parte curate iniit? vt plures occumberent a Medicis tractati, quam quibus nullus adhibitus fuerat. Id certum eſt, plures olim, quam nunc, a Medicis tractatos occubuiſſe. Quamuis a ratione & ab obſeruationibus non abhorrere videtur, peſtilentiori, ab initio graſſationis in Europa, contagio variolas corpus affeciſſe, quam quod nunc vtplurimum afferre ſolent. Foret autem & haec quaeſtio examine omnino non indigna, Medici, an alii, in variolis olim regimine & remediis aliis calidioribus magis pugnauerint. Prius ſi forte verum ſit, tempora valde nunc mutata eſſe oportet; ſiquidem

dem non in hoc modo, ſed etiam in multis aliis morbis, nil ſibi prius ac magis faciendum eſſe plurimi, non e vulgo tantum, ſtatuunt, quam calor in aegro, & circa eum ne deficiat; & ab eo inſtituto ſaepe vix vlla ratione dehortari ſe patiuntur.

§. XVI.

Sed ad rem propius accedamus. Nullisne adeo remediis in variolis opus eſt, cum praecipuas natura res per ſe peragat? Quando id recte facit, neque impedimenta illi aliqua obiiciuntur, ſinamus ſane eam rem ſuam ſolam agere; nec ipſi impedimento ei ſimus: quamuis in hoc etiam caſu recte ei ſuccurrere interdum liceat. Sed an illud verum eſt frequentiſſime? Vbi ergo natura peccat, vel in opere ſuo impeditur, vel ne impediatur: ad remedia confugiendum eſſe, ratio monet, interdum etiam ad medicamenta, ſaepiſſime ad conſilium; in quo vltimo & alias ſaepe praecipua curandi ars conſiſtit, ſed quod naturae ſolius opus non eſt, nec vulgo ſaepe, aut medicinae ignaris frequentius cum vera applicandi ratione ſuccurrit, quam Medicis veris. Videamus, quae ex illis omnibus potiora ſunt, & quorum vſus in agris hoc anno maxime profuit. Pauca tamen prius de praeſeruatione dicamus.

§. XVII.

Vbi ergo variolae in loco aliquo graſſantur, ſortem ſuam quisque, qui variolis veris nunquam antea laborauit, patienter exſpectet; ſique illae be-

nignae, vel non adeo malae indolis eſſe obſeruantur, minus eas reformidet: ne hoc deinceps ſingulis fere annis, vel ſub omni graſſatione, faciendum ipſi ſit. Quodſi vero maligniores graſſantur, vel notabili aliquis corporis vitio, vel imbecillitate laboret, ſubducat ſe contagioni, quantum id res ei permittunt. Idem cum teneris adhuc infantibus in omni graſſatione obſeruandum eſt. Adultis eam fugam non valde commendarem ego PRAESES: cum & hos ſemper non valde maiori opera periculo ſubduxerim, quam iuniores, & alias curatos eſſe mihi conſtet. Eodem tempore quaecunque obſeruentur variolae, temperate viuat & agat morbi huius adhuc expers: vel, ſi infans puerue ſit, habeatur, omni ratione; ita tamen, ne vires corpori detrahantur. Corpus ſi valde plethoricum ſit, & aetas id patiatur, vena ſecetur. A ſanguine enim copioſo variolarum numerus ſine neceſſitate cum ſymptomatibus augetur; interdum eruptio impeditur. Si prauis copioſisque ſuccis primae viae obſeſſae ſunt, quae noua & grauia ſaepe reliquis ſymptomata adiiciunt, praeſertim ſub maturationis & exſiccationis tempus: exturbentur illi leni, ſed ſufficiente purgatione. Sed vtrumque mature & ante inuaſionem faciendum eſt. Quodſi forte contagium aliquod ſuſceptum a corpore ſit, ſed prius ſe non prodiderit, quam remedia ea adhibentur; mali nihil inde metuendum erit ab iis, applicatis modo cum iis monitis, quae hic addita ſunt, aliisque ſemper obſeruandis. A reliquis medicamentis, ſi nullae aliae res quaedam valde poſtulant, abſtineat interim; ob hanc inter alias cauſam, vt, ſi in ipſis poſtea

vario-

variolis quibusdam opus ſit, haec tanto certius agant. Praeſeruandi vero fine ea adhibere, irritum eſt. Videri ad hanc rem ſub prima inuaſione commendare ipſa natura queat vomitoria: niſi experientia ſatis docuiſſet, eos, qui multum, vel plurimum eo tempore vomuerant, nihiloſecius variolarum omnes ſcenas peragendas habuiſſe, & plurimis ſaepe illis laboraſſe.

§. XVIII.

Ante vero, quam ad curationem variolarum hoc anno graſſantium curationem accedam, de indole earum quaedam monenda habeo. A vehementi & copioſo contagio excitatas eas ſtatim fuiſſe, inde colligere licet, quod ſaeuiente quam maxime hyeme, & plurimos ſtatim inuaſerunt. Ipſius morbi vehementiam indicabant praematura in nonnullis variolarum eruptio, copia earundem ingens, in facie praeſertim, & quaſi confluxus, in noſtro etiam aegro horror vehemens cum ſyncope ab initio, febris cum calore maximo & aliis ſymptomatibus per omne eruptionis & maturationis fere tempus affligens, ſaliuatio poſteriori hoc tempore notabilis, puſtulae in lingua, faucibus & profundius adhuc haerentes, ac diarrhoeae diuturnae. Sed vti omnia ea recte admonebant, curate hunc morbum curandum fore: ita e peiori & maligniori variolarum genere eum non eſſe, tum ex aliis indiciis apparebat, tum quod in primis aegrotis, et poſtea in aliis pleriſque, tempora reliqua ſat accurate ſibi ſuccedebant, morbumque ad felicem exitum perducere licebat: quamuis ipſa curatione annitendum opera omni eſſet, ne, quod ſaepe

fit,

ſit, maligniores redderentur variolae; vtque natura ita ſemper adiuuaretur, quo mutationes earum omnes, recte atque ordine peragerentur.

§. XIX.

Grauiſſima ſymptomata & periculum ſaepe maximum variolas, quae in facie admodum copioſae prodeunt, ciere, Medici dudum obſeruationibus didicerunt. Ne ergo contagium cum ebulliente ſanguine verſus caput nimis ruat; pediluiis id inter alia remedia prohibere poteſt. Vſus ſum illo remedio in aegro, cuius hiſtoriam ab initio deſcripſi, & in quibusdam aliis, ſub eruptionis initium; & licet nihiloſecius copioſiſſimae in illius praeſertim capite variolae prodirent: earum tamen copia, quae in integris pedibus, & ſub horum plantis praecipue, ſequebatur, tum ceſſans mox grauis inquietudo, & actiones animales per totum morbum minus turbatae, indicium mihi minime vanum praebebant, non ſine magno vſu remedium illud fuiſſe adhibitum.

§ XX.

Sub aeſtu ingenti ratio illum & motus nimios temperantium vſum commendat, & euentus approbat; ſed eum, qui motus non nimis minuat. Puto, horum congruorum vſum id etiam effectum a me eſſe, ne inſultus epileptici, in aliquibus in propinquo commorantes, prorſus erumperent.

Ex omnibus aegris, quorum curam hoc anno geſſit PRAESES, maxime ab initio laborauit Virgo generoſiſſima, cuius ſymptomata §. 5. in not. allegaui, videban-

debanturque ei epileptici inſultus maxime minitari. Adhibitis autem aquis paregoricis cum diaphoreticis mixtis, & Fracaſtorii Diaſcordio addito, ſtatim melius omnia ſe habere coeperunt, ac variolae altero abhinc die copioſiſſimae vbique prodierunt.

§. XXI.

Aluus adſtrictior, niſi aliud turbet, calorem ſaltim in vniuerſo corpore augere ſolet; ſi nempe foecum notabilis materia in inteſtinis adſit. Quae cum vera eſſe in hoc aegro iudicarem, isque tempore ebullitionis fere omni a cibis minime abſtinuiſſet, ſuppoſitorio materiam illam evocandam curaui altero eruptionis die, non ſine multo aegri leuamine.

§. XXII.

Fecerat ceterum natura primo, ſeu inuaſionis tempore officium ſuum probe, etſi violenter ſtatim negotium incepiſſet; vt adeo paucis mihi interea opus eſſet medicamentis; quae ſtatim dirigendis poſt ſyncopem motibus vitalibus adhibui. Id quod in aliis quoque aegris factum eſt. Eruptionem in plerisque, pro modo, quo ea contingebat, diaphoreticis & temperantibus, moderatus ſum. Vt eadem, tribus praeſertim poſterioribus temporibus, res ſuas probe peragat: aëris maxime temperatura iuſta quoad calorem & frigus, ſemper opus eſt. Cum in hac re plurimum antea peccatum eſſet, vti adhuc ſaepe peccatur, rectius & vtiliſſime de illa admonuit Sydenhamus: (*) monito eo, quod ratio etiam, ſed culta ea, commendat, ſempiternam laudem promeritus.

(*) p. 87.

ritus. Sed rei cardo in hoc vertitur, vt, quod idem iam docuit, gradus caloris, in quouis caſu requiſitus, recte ſemper definiatur: id quod, vti addit, prudentem & ſagacem Medicum omnino poſtulat. Naturalis certe inſtinctus raro hic audiendus eſt.

§. XXIII.

Eſt vero aeque, niſi magis neceſſarium mihi ſemper viſum, aegros variolis laborantes iisdem temporibus, & in progreſſu ſemper magis, in aëre puro conſeruare; aëremque interdum in conclaui, praeſertim ſi plures ſimul in eo decumbant hoc morbo, mutare: ne exhalationes copioſae ſecuturas alias cohibeant, nec eae pravae, in aëre ibi ex aegris auctae, iterum in corpus reſpiratione admittantur, & aliis etiam noxam creent. Reclamatum eſt ab initio ei inſtituto, cum ante plures annos illud commendarem, opere maximo; ſed poſtquam vſus eius aliquoties deinceps apparuit, aegri etiam nouo admiſſo aëre non parum ſe refici teſtati ſunt, & rationes meas ita res ipſa approbauit, facilius idem familiaribus aegrorum perſuaſi. Eſt autem ea in hac re moderatio adhibenda, ne aër externus frigidior in conclaue, multo minus ad aegri corpus, minime omnium vero ventis agitatus, admittatur.

§. XXIV.

Cum maturationis tempore materia viſcida multa os & fauces aegri noſtri fere obſtrueret; & lingua praeterea partim aphthis, partim retrorſum variolis obſeſſa eſſet; vt tandem os aperire vix tantillum poſſet, & illius materiae, quamuis copioſe in os delatae,

latae, admodum parum inde excerneret: lac ſaepius, croco interdum tinctum, interdum cum roſarum melle per ſyringam inieci, vi valida. Quomodo & excretio illius materiae adiuta eſt, lingua cum faucibus deterſa, & extrema vaſorum ac glandularum in hiſce locis recluſa, cum leuamine ſemper notabili. Curaui ſimul in progreſſu, vt, ore vtcunque repurgato, pars iniecti humoris deglutienda ei eſſet; partim nutriendi fine, cum alia ipſumque potum, asſumere non valeret; & defendendo itineri per oeſophagum. Sed tam aegre hanc operationem admiſit, vt poſtea ad ſumendum potum vel e longinquo admota ſyringa compelli poſſet. Ne vero humores nimis ſuperiora verſus ruentes ptyaliſmum diutius augerent, bibendam ei ſubinde dedi aquam florum paralyſeos cum ſyrupo florum papaueris rhoeados.

§. XXV.

Excretionem, quae omni maturationis tempore per aluum quamuis frequenter contingebat, cum ſimilem fere priori (§. 24.) materiam viſcidam exturbaret, tumor vero faciei ſubſiſteret, eique tempeſtiue alius manuum ſuccederet, & interſtitia in facie adhuc inflammata eſſent, nulla ratione impediendam putaui; neque etiam, cum probe hic naturam aegere viderem, medicamentis vllis promoui.

§. XXVI.

Contra vrinae ſuppreſſionem, (vid. ſub die 10,) quam a moleſta colli veſicae dilatatione, quoties haec inciperet, vti hanc forte a variolis quibusdam, illius vici-

ciniam obſidentibus, ortam credibile erat, ſiquidem & penis & ſcrotum denſis iis obſidebantur, applicatum ſubinde fuit pubi cataplaſma ex diſcutientibus herbis cum emollientibus mixtum; & aeger interdum parum incedere iuſſus fuit: vt vrina, verſus veſicae collum magis ruens, fibras ibi fortius ſtimularet; quibus factis ſemper, poſt breuem moram, vrinam copioſam prompſit.

§. XXVII.

Hactenus, ſeu ad finem maturationis in facie, aegros ad tenuem potum adſtringo; niſi quod magno appetitui & refectioni alicui interdum cereuiſiae ordinariae quippiam indulgeam. Duodecimo die cum variolae in facie exſiccari inciperent, viresque admodum imbecilles eſſent, ne vltima hac ſcena natura in opere ſuo deficeret, ſuccurrendum ei putaui cereuiſia calida, cui panis & vini generoſi quippiam addere iuſſi; ſequentibus proxime diebus etiam pauco vino canarienſi. Adhibui in hac re olim fidem Sydenhamo, non tamen ſine ratione, deinceps etiam propriis meis obſeruationibus: vtque antea nonnullorum indignationem ac ſuperfluas ſolicitudines ea liberalitate excitaui: ita deinceps omnium aegrorum, quos hucusque male habuerant variolae, gratiam mihi conciliavi; cum praeſertim omnes ſe ab vſu conceſſi vini ſtatim & poſtea melius habuerint. In memoriam mihi hic venit factum iuuenis ſtudioſi, cuius, annos aliquot ſupra viceſimum agentis, & valde vegeti, cum ante bina circiter luſtra variolis copioſis decumberet, curam geſſi, & cui itidem, tempore exſiccationis vini canarienſis vſum conceſſeram, ſed ad pauca cochlearia

learia ſumendi. Inuitarant eum praeſtantia eius & ſitis magna, vt, me ignaro, paulo liberalius villum conceſſum hauriret. Minime tamen male inde ſe habuit, & quantum ſcio, adhuc viuit & valet. Contigit mihi & ſub hac vltima graſſatione, vt aliqui menſuram a me indultam multiplicauerint, bona ſua fortuna. Eſt tamen optimus plerumque modus in rebus: ad quem, a Medico praeſcriptum, aegros exigendos habent, quibus reliqua eorum cura demandata eſt.

§. XXVIII.

Exſiccationem natura peragit ipſa, nec, ſi reliquae ſcenae rite peractae ſunt, medicamentis ad eam rem adiuuandam multis opus eſt, cura tamen ſaepe ſollicita, ne in portus vicinia naufragium aeger faciat. Plurimum operae in hoc primum conſiſtit, ne aeger, viribus hoc tempore fere exhauſtus, ferendo adhuc oneri, quod non exiguum ſupereſt, nunc ſuccumbat. Quod partim modo, quem prius expoſui, partim iuſculis & emulſionibus vires reficientibus caueo. Quibus cum prima exſiccatione vires ita redierant, vt lectum alacres deſererent, & cibum auide appeterent, iis conſilium dedi, vt appetitui ſuo modum ſtatuerent, carnesque vel adhuc ſeponerent, vel ſaltim parcius ſumerent. Sed in multis appetitus, quam conſilium, plus valuit, nulla noxa. Omnibus eo tempore aëris iuſta temperies & puritas maxime neceſſaria eſt. Deſquamationem puſtularum & exhalationem materiae prauae, adhuc in corpore latitantis, ſemper commode promoui lacte calido, interdum crocato, ſaepius applicato; ne poſt exhalationem partis aquoſioris, aridior cuticula a lacte redderetur.

retur. Idemque factum in facie praeſertim; in reliquo corpore minus neceſſarium eſt. Exhalationem vero, praeter memorata analeptica, probe quoque adiuuant alexipharmaca temperata.

§. XXIX.

Altera deinceps cautio neceſſaria eſt, vt corpus exſiccatione peracta expurgetur. Memorati nobis olim & aliquoties ſunt triſtes variolarum euentus, vbi morbus iam prorſus ſuperatus viſus erat; vnico hoc remedio neglecto. Poteſt autem hoc adhiberi die ſexto, vel ſeptimo ab exſiccatione coepta. Neque vero excretio foecum naturalium, ſi prius ea forte contigerit, facile ſuadere debet, vt medicamento expurgante ſuperſedeatur: cum magis praua materia, & puſtularum reſidua nihilominus adhuc haerere in corpore queant; quemadmodum de noſtro aegro exemplum, ſub diebus 17. 18. & 20. memoratum fuit.

T A N T V M.

MVTANDA:

p. 8. lin. 16. lege: erupti.

§. VI. lin. 5. pro particularium, lege: vniuerſalium.

p. 18. lin. vlt. ſolent, ponatur lin. quae antepenultimam praecedit, poſt: arripere.

§. XIX. lin. 6. lege: hiberi.

3—